4) 1520.

The Revd. Dr. Gaskin
at London.

1

V. S. V.
Georgio Gaskin,
S. S. Theol. D.
Ill. Societatis de pr. Christi cogn.
a Secretis, ect.
S. D.
Ge. Chr. Knapp.

Pergratae perque iucundae et mihi fuerunt, et coniunctiſſimo Collegae meo, Ven. Niemeyero, literae Tuae, d. XX. Iunii ad me datae, quibus benevole ſignificabas, Ill. Soc. Londinenſem, brevi narratione noſtrâ, quam ei menſe Maio transmiſeramus, permotam, decreviſſe, eam inopiam penuriamq; rerum, quam bellicae calamitates Halenſibus b. Frankii inſtitutis attulerant, beneficentiâ ſuâ ac liberalitate affatim ſublevare. Cui promiſſo et recepto Tuo ſatisfactum liberaliter eſt eodem fere tempore, quo alteram accepi epiſtolam Tuam, quae curam ſolvendae pecuniae negotiatori Lipſienſi delegatam eſſe indicabat; ~~quam notis~~ cui de repraeſentato nobis pretio D. librarum numorum Sterlingicorum, teſtimonium, ſubſcriptis nominibus noſtris firmatum, ſtatim perhibuimus.

Equidem in ampliſſimo hoc, quo nos ornaviſtis dono, apertiſſima agnoſcens veſtigia viventis adhuc et cuncta ſapienter moderantis Dei, (qualia itidem Frankius noſter ſua condens inſtituta crebris praedicare et ſermonibus ſuis et ſcriptis ſolebat,) nihil prius atq; antiquius habui, quam ut illos bonis omnibus longe cariſſimos Viros, qui inclytae Societati Veſtrae adſcripti ſunt, quosq; in praecipuis rerum noſtrarum reſtitutoribus numeramus, Illius fidei, tutelae, patrocinio, aſſiduâ precatione mea ſuppliciter comendarem. Deus eos, de humani generis ſalute multis nominibus ~~modis~~ praeclare merentes, quam diutiſſime integros et florentes conſervet, rebusq; expetendis omnibus, quibus humana et huius vitae et futurae vera felicitas cenſetur, cumulatiſſimos eſſe iubeat. Te autem, V. S. V., etiam atq; etiam rogatum velim, ut in conſeſſu Ill. Collegii Veſtri interpretem agas atq; internuncium gratae mentis pietatisq; noſtrae, collatorum in nos tantorum beneficiorum perpetuo memoris. Nos enim tametſi Vobis ad referendam iuſtam debitamq; gratiam ſatisfacere numquam poterimus, ad praedicandam tamen et habendam, bono cum Deo, ſatis ſumus facturi.

Ceterum de me ſic exiſtimes, in iis, quae Tua epiſtola de noſtrorum et cauſis malorum, et remediis graviter ac probe monet, Tibi me per omnia plane aſſentiri. Faxit Deus, ut, poſt fractam

1v

ſaevam improbamq; tyrañidem, etiam Ger-
maniae noſtrae, felicibus ſub auſpiciis
Auguſtiſſimorum libertatis Vindicum, novus
rerum ordo, isq; priſtino laetabilior et
ſalubrior, tandem aliquando redeat. Illud
ſcilicet penitus perſuaſum eſſe debebit
omnibus, qui bene mereri de ſtatu rei
publicae volent, tantum unamquamq;
civitatem ad externam quoq; ſalutem et
tranquillitatem vere proficere, quantum
ad veram in Deum pietatem, ſanctita-
temq; vitae, praeceptis Servatoris noſtri
O. M. accommodatae, profecerit.

Quod ſcribis de gravi aegrotatione
novi Miſſionarii noſtri Tanjorienſis, id
me vehementer perculit atq; adeo affli-
xit. Is enim carus mihi in primis fuit,
tum ob eximium, quo flagrabat, de re
ſacra apud exteros bene merendi ſtudi-
um, tum idcirco maxime, quod evangeli-
cae diſciplinae, quam aliis traditurus
erat, ſalubritatem, ipſe in ſe quoq; exper-
tus uſuq; edoctus perceperat. Sed obſe-
quenter, uti par eſt, acquieſcentes in
voluntate Dei, pie eum implorabimus,
ipſi ut placeat idoneos ſibi operarios
praeparare, in multam meſſem ſuam emittendos, quo- *
rum, ut fere ubiq; cum terrarum, ita etiam
apud nos, mira adhuc paucitas eſt.

Et quoniam in mentionem incidi le-
gationum evangelicarum, liceat mihi quas-
dam ſollicitudines, quibus animus meus
angitur, apud Te, Vir S. V., ingenue ex-
promere, atq; abs Te petere, ut iis,
quoad eius fieri poterit, cito occurras
remediumq; adhibeas. Non fugit Te, am-
pliſſimamq; Societ. Veſtram, me inde ab
año ſuperioris ſaeculi LXXXXIX. negoti-
a ad Danicas et Britannicas Miſſiones
pertinentia, eundem in modum curanda
ſuſcepiſſe, quo eadem antea a b. A. H.
Frankio huiusq; ſucceſſoribus procurata
fuerant. Cuius officii mei potiores hae
fere partes fuere: primum, ut eranum
illum, qui ad ſuſtentandas Miſſiones in
Germania et finitimis regionibus colligitur,
reciperem inferendumq; rationibus curarem;
deinde, ut perpetuum epiſtolarum comer-
cium cum Miſſionariis Indicis, ceteriſq;,
qui evangelicarum legationum comodis in-
ſervire quovis modo poſſunt, colerem atq;
exercerem; deniq;, ut Comentarios de
actis praeconum Evangelii apud Indos ori-
entales, in uſum Germanorum publicarem.
Atq; horum quidem Comentariorum, per
centum iam annos continuatorum, XVI. qua-
ternariae formae tomi exſtant. Sed in-
terpellata illius libri editio eſt poſt
annum huius ſaeculi octavum; quo anno
noviſſimam eius particulam evulgaveram.
Namq; ab eo inde tempore, poſt ſuppreſ-
ſum omne commercium epiſtolare cum
transmarinis terris, nec Ephemerides, ſeu

acta diurna Miſſionariorum, nec illorum Epi-
ſtolae Londinum et Halam miſſae, (paucis
quibusdam exceptis, quae exigui erant mo-
menti,) in manus meas pervenerunt. Verum
interpoſita haec mora inſtituto noſtro
multum detrimenti in Germania attulit.
Quamquam enim in politicis pariter ac
literariis Ephemeridibus noſtris promul-
gatum, a me identidem erat, legationem evan-
gelicam ad Indos haudquaquam ceſſare,
ſed progreſſum etiamnunc habere, rumor
tamen percrebuit, eam ſolutam eſſe et
penitus exſtinctam. Ex quo evenit, ut,
quae antehac e variis Germaniae regio-
nibus conferri ſoleret pecunia, ſenſim
imminueretur quotannis, tandemque pror-
ſus fere intercideret. Quae res me
impulit, ut poſt fauſtam illam rerum
noſtrarum converſionem, menſe Aprili
huius anni paucas aliquot plagulas pa-
trio ſermone ſcriptas ederem, quas quo-
quo verſus gratis distribuendas curavi,
eo quidem conſilio, ut ſalubre hoc in-
ſtitutum noſtratibus denuo in memori-
am redigerem, eosque ad illud ſuble-
vandum excitarem. Nec huius
comendationis eventus ſpem meam
plane deſtituit. Cum vero in eâ
opinione eſſem, ut exiſtimarem,
compluresfasciculos Ephemeridum
atque Epiſtolarum, a Miſſionariis
noſtris inde ab a. huius ſaeculi VII.
conſcriptarum, ſi non Hafniae, at
certe Londini, repoſitos aſſervari; non
dubitavi lectoribus huius ſcripti pro-
mittere, me propediem integrum iu-
ſtumque Comentarium de [illegible] actis in-
terpretum Evangelii in Indiâ orienta-
li, eſſe editurum. Sed hisce promiſſis
iam vereor ut ſatisfacere queam.
Miranti enim mihi, quid cauſae eſſet,
quare Rev. Ubelius, quo procuratore
atque adiutore in his rebus adminiſtran-
dis uſus fueram, iam diu nihil ad me
ſcriberet, ecce nuncius affertur, illum
non amplius Londini domicilium habere,
ſed in Britannicâ quadam inſulâ Ec-
cleſiaſtis munere fungi. Hoc ſi verum
eſt, (quod illum me celare non oporte-
bat,) fieri ex meâ quidem ſententia
non poterit, ut ei negotio diutius
praeſit, ſed alius erit eligendus, cui
huius rei cura demandetur. Quare
cum Rev. Schwabii fidem, ſollertiam,
dexteritatem hoc in genere laborum,
ab intelligentibus harum rerum exi-
ſtimatoribus valde laudari cogno-
verim, viſum mihi eſt, ex eo quaſi
in anteceſſum quaerere, an commo-
dum ipſi ſit, eorum, quae Rev.
Ubelius propter abſentiam adminiſtrare

iam non poteſt, negotiorum ad evangelicam legationem ſpectantium, curam, permittente Ill. Societate, in ſe ſuſcipere. Quod conſilium ab ipſâ neceſſitate mihi imperatum, ſi Tibi haud diſplicuerit, hanc ei epiſtolam, quam his ad Te literis, pace Tuâ incluſi, ut reddendam cures, enixe rogo: ſin aliter Tibi viſum fuerit, Tuum iudicium ſequaris velim. Totam enim hanc rem, quam Tibi aeqꝫ ut mihi curae cordiqꝫ eſſe ſcio, ſapienti arbitrio Tuo, fidenti animo relinquendam putavi.

Vale, Tuamqꝫ mihi, Venerandi nominis Tui obſervantiſſimo cultori, benevolentiam conſerva.

Scribebam Halae, d. IX. Auguſti.
cIↄ Iↄccc XIV.